

OVATIONES

HOWARD MARBLESTONE

Accomodemus verba sacrorum scriptorum Iudaeorum ad sapientem, hominem et virum sapientem: *Hahamta benenu vesamahta libenu* (fuisti sapiens, fili noster, et corda nostra laetificavisti).¹ Et quoque recordemur ἄνδρα πολύτροπον, memorabiliter ab Homero celebratum. Nam variae facultates huius sapientis societatem nostram diu locupletaverunt, praecipue cum nos congregavimus, autumno vernoque tempore, in diversis locis, causa alendarum artium scientiaeque.² Tam eruditus quam sapiens fuit, sed peregrinans, non errans, ex urbe bis nominata profectus, iter fecit ad oppidum saxosum cuius nomen insulam ipsius Ulixis commemorat, ut gradum Baccalarei Artium—in litteris Graecis et Latinis—adipisceretur. Tum ad orientem vertens, apud universitatem honorantem iudicem supremae dignitatis attigit gradum Doctoris Philosophiae, nunc quoque doctissimus in studiis Iudaicis. Paene triginta annos universitatem praeditam nomine nobilis ducis Gallici confirmavit, docens scribensque de antiquis Graecis Romanisque Iudaeisque, animans multas linguas quas docet. Peritus administrandi contulit beneficia peritiae suae (et adiutoris strenuae) conventibus nostris: conducens hospitia; comparans commeatus, componens cursus viatorum, omnia maxima cum lenitate. Durabilis perpolitusque, merite lapis marmoreus appellatur. Plaudamus igitur Howard Marblestone.

University of Maryland, College Park
Classical World 97.4 (2004)

ANDREA FAGIN
ROBERT FRADKIN
MICHELLE HOLTRY
GLORIA JEANNE NICKOL
WILL ROBEY
JUDITH P. HALLETT

TIMOTHY RENNER

Nomen urbis aeternae, litteris inversis, fit nomen Cupidinis, dei potentissimi, indicio maiestatis Amori Romaeque. Sed nomen ipsum huius collegae praestantissimi, retro scriptum, idem restat, signo nescio cuius maioris ei. Et maxime profuit non solum Societati nostrae, pro qua diligenter laboravit ut praeses, sed etiam Societati doctissimarum doctissimorumque hic, in patria nostra, qui student papyros effossos ex arenosa terra Cleopatrae. Artes legendorum et explicandorum talium operum didicit apud duas universitates insignes, unam saepe petitores generosiores summorum honorum nutrientem,³ alteram animalibus ferocioribus nutrice Romuli Remique gaudentem. Triginta annos cursum classicorum studiorum apud Universitatem Montis Clari sapienter et prudenter gubernavit, ducens administransque, firmans aedificansque, docens propagansque. Locupletavit nos omnes omnibus rebus gestis suis. Plaudamus nunc Timothy Renner.

University of Maryland, College Park
The Agnes Irwin School
Classical World 97.4 (2004)

JUDITH P. HALLETT
EDWARD SACKS

¹ Prov. 27:11.

² *Causa Artium Alit Scientiam*, the motto of CAAS.

³ See Hor. *Odes* 3.1.10–11: *hic generosior / descendat in Campum petitor*.

FRANK M. SNOWDEN JR.

Hodie celebramus vitam, longissimam et mirabilium factorum plenam, et opera, novantia mutantiaque studia classica, viri fabulosi, veri Iovis, Optimi Maximique, hic apud nos mortales, viventis et florentis prope Capitolium nostrum. In urbe praedita monumentis marmoreis et ducibus gravibus, eminent monumenta fulgentia huius gravissimi ducis, aere perenniora.⁴ Clarissime lucent huius officia pro principe universitatum quae discipulos editos e maioribus Africanis diu nutriverunt; huius scripta quae diligenter illustant non solum homines fuscis coloris sed etiam opiniones praeiudicatas in rebus coloris inter antiquos Graecos Romanosque; huius labores pro consociandis omnibus civibus olim turpiter segregatis. Hunc aluit academia nostra veterrima discendis Latinis Graecisque linguis consecrata; hunc polivit erudita sedes Veritatis, ubi gradus Artium Baccalaurei Magistrique Doctorisque Philosophiae adeptus est. Quinque factus Doctor honoris causa, saepe legatus nostrae patriae in urbe et per orbem, nuper Albae Domi salutatus est. Plaudamus igitur—et stemus omnes—Frank M. Snowden Jr.

University of Maryland, College Park
Our Lady of Lourdes School
The Agnes Irwin School
Classical World 97.4 (2004)

JUDITH P. HALLETT
 LUIGI MARIA DE LUCA
 EDWARD SACKS

JOHN ZIOLKOWSKI

Hodie honoramus virum illustrem, nuper tredecim lustrorum, Capitoli nostri non solum laboriosum habitorem, sed etiam studiosum amatorem. Domo eruditissima praestantissimaque, educatus in regione stellarum cadentium, reliquit montem et vallem ut disceret de rebus antiquis in civitate propter calces picis insignissima. Adeptus est gradum Baccalaurei Artium inter numina mala caerulea, Philosophiae Doctoris apud universitatem publicam, ubi disertissime scripsit de Thucydide laudationibusque funebribus Atheniensibus. Quadraginta annos docuit linguas Latinas Graecasque, Graeciae Romaeque litteras: primum iuvenes otiosos apud almam matrem suam, tunc puellas doctas in civitate carissima patri patriae nostrae, nunc venustos venustasque in urbe et universitate quae nomen huius conditoris ferunt. Multa scripsit, de rebus variis: bucinis tubisque; statuis lapidibusque; et aliis monumentis aere perennioribus.⁵ Societatem nostram servavit magna cum diligentia: ut praeses, ut curator rerum gestarum, dignus laude in omnibus officiis. Plaudamus igitur John Ziolkowski.

University of Maryland, College Park
Classical World 97.4 (2004)

LUCAS HERCHENROEDER
 MARK FOWLER
 DANA NICODEMUS
 SCOTT PROFFITT
 LOUISE SKINNER WAUGH
 JUDITH P. HALLETT

⁴ Hor. *Odes* 3.30: *Exegi monumentum aere perennius / . . . Dum Capitolium / scandet cum tacita virgine pontifex / dicar* (1, 8–10)

⁵ Hor. *Odes* 3.30: *Exegi monumentum aere perennius* (1).